AUTHOR:

LABUJEWSKI, JOANNES

TITLE:

QUAESTIONES DE CANTICO QUOD...

PLACE:

ROSTOCHII

DATE:

1874

Master Negative #

93-81629-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Labujewski, Joannes
Quaestiones de cantico quod legitur apud Euripidem in Electra v.433-485. Dissertatio inauguralis quam ... scripsit Joannes Labujewski ... Rostochii, Boldt, 1874.
19 p. 23 cm.

Thesis, Rostock.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-4-93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Labujewski

Euripidem in Electra

QUÆSTIONES DE CANTICO
QUOD LEGITUR
APUD EURIPIDEM IN ELECTRA
V. 433—485.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

JOANNES LABUJEWSKI

POLONUS.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXIV.

JLLUSTRISSIMAE SOCIETATI

A

CAROLO MARCINKOWSKI

IN MAGNO DUCATU POSNANIENSI CONSTITUTAE

HUNC QUALEMCUNQUE LIBELLUM

PII GRATIQUE ANIMI

DOCUMENTUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Euripidis Electram si cum Aeschylo Sophocleve comparaverimus, primo statim obtutu discrimen, quod ad poësis pertinet genus, deprehendimus summum. Quae tragoediae pompa excellit apud Aeschylum fabula, mirum quantum labitur apud Euripidem, est enim civilis ac paene rustica. Electra Euripidea rustico collocata est, quem Aegisthus ne Agamemnonis caedis poenas persolveret metuens maritum dedit. Orestes, in occidendo patre ab Electra clam sublatus, cum Pylade, familiaritate maxima coniuncto, Argos venit, sororem quaesiturus mortemque patris ulturus. Electram inveniunt ex vicino fonte aquam haurientem, quae cum advenis sermonem conferens, praesente et Oreste et Pylade reperitur a coniuge, qui vesperascente iam die domum reversus, qui essent peregrini illi quidve vellent, ab Electra certior factus, hospitio eos excepit. Quo facto chorus carmine extollit scelus uxoriae caedis idque ea maxime arte depingit, quod Agamemnonem imperatorem Achillis, Graeciae herois proprii, celebrat Achillem armaque a Vulcano facta praedicans adiiciensque postremo Agamemnonem etiam Achillis fuisse ducem, ergo heroe a dea prognato superiorem. Quamobrem quamvis Achilles unus videatur a choro celebrari, tamen totius laudis cardo versatur in augenda et amplificanda Agamemnonis gloria, ut merito chorus in cantici fine edicere possit:

τοιῶνδ' ἄνακτα δοριπόνων
ἔκανες ἀνδρῶν, Τυνδαρί.

Hac in sententia vertitur carminis summa. Atque connexum ita poëta instituit, ut in prima stropha naves illas inclytas invocaret, quae Graeciae iuventutem cunctam atque praeter ceteros Achillem Agamemnonemque ad Troiam advexerunt. Achillis mentione facta scuti illius

celebratur pulchritudo, describiturque Chironem in Pelio monte educasse Thetidis filium ibique Nymphas iuvenem quaesivisse (mea enim sententia pro corruptela *κόρας μάτευσ'*, quae a sensu abhorret, legendum est *κόρον μάτευσ'*). In stropha altera scutum demum describitur Achillis idque secundum descriptionem, quam fecerat Troianus advectus ad portus Nauplios. Quae scuti descriptio insequentem etiam antistropham complectitur, discedit tamen aliquantum ab ea, quam Homerus in Iliadis libro XVIII. instituit, descriptione. Discrepantia haec me iudice inde orta est, quod Euripides ex ipsius ingenio clypei speciem finxit, ut non nisi paucis cum Homero consentiret momentis, qui consensus memoriae poëtae tribuendus esse videtur. Praeclara hac scuti Achillis descriptione facta, in epodo chorus se convertit ad celebrandum Agamemnonem, Achillis imperatorem eum appellans, questus tantum tamque fortem heroem a propria uxore trucidari potuisse. Qua in re vates exsistit chorus vaticinaturque mox fore ultorem in promptu, qui tam nefandum detestabileque scelus brevi sit ulturus, animoque ipsam videt Clytaemnestram percusso pectore sanguine madentem extremumque haurientem spiritum.

Cuius cantici tali modo paucis adumbrato argumento transeamus ad illustrandum metrum, quo poëta est usus. Ac primo statim aspectu metrum agnoscimus logaoedicum, quod metrum Euripides sexcenties usurpat, ut diversissimos animi motus diversissimumque *ἦθος* exhibeat.

Antequam autem singulos cantici versus ad artem metricam explicando referamus, ut par est quaestionem absolvemus, cuinam chororum generi canticum nostrum sit adscribendum, sitne parodos an stasimon, commos an *ἀπὸ σκηνῆς*. Atque hoc quidem in nostro cantico facile est dictu. Est enim hoc canticum primum stasimon totius fabulae, cum notum sit stasima esse carmina parodon sequentia eaque, quae a toto universoque choro cantentur. Parodos quoniam iam antecessit et ab universo choro

cantus huius carminis est institutus, nemo est qui dubitare possit, quin ad stasimorum genus hoc canticum sit referendum.

Versus primus est pentapodia logaoedica cum dactylo, qui loco quarto reperitur, praemissa basi spondiaca. Qui sequitur versus est glyconeus tertius syncopata thesi media. Versu tertio sequitur pentapodia logaoedica catalectica cum basi spondiaca dactylo tertium locum obtinente.

Quo loco non praetermittendum eam quae ultimae arsi antecedit thesin reperiri productam. Sequuntur duae tetrapodiae catalecticae, quarum prior est *λογαοιδικὸν δακτυλικὸν πρὸς δυοῖν*, altera unum tantum habet dactylum cumque loco secundo. V. 437 est pherecrateus secundus catalecticus cum basi spondiaca. V. 438 est glyconeus catalecticus cum dactylo, qui reperitur loco paenultimo, praemissa basi iambica et insequente spondeo, quod haud raro fieri solet post basin in versibus logaoedicis. V. 439 est glyconeus catalecticus cum basi trochaica et duobus dactylis. Quem versum sequitur glyconeus secundus catalecticus soluta basi trochaica, sive, ut aiunt, praemisso tribracho. V. 441 est phercrateus secundus cum eadem basi.

Si respicimus antistropham, praeter nonnullas, quae ad artem pertinent metricam, mutationes primus tantummodo versus paulum discedit ab eo, qui respondet, versu in stropha priore. Quam quaestionem, ubi ad locum illum venerimus, absolvemus.

Stropha altera hisce constat versibus: V. 452 est pentapodia dactylica catalectica in unam syllabam. V. 453 est pherecrateus secundus, item qui sequitur versus 454. V. 455 est glyconeus secundus catalecticus cum basi spondiaca. Sequitur tripodia dactylica. Versu insequente habemus dipodiam trochaicam cum anacrusi, cuius trochaeus primus in tribrachyn reperitur solutus. V. 458 est glyconeus secundus catalecticus cum basi tribrachyca. V. 459 est item glyconeus secundus catalecticus. Sequitur glyconeus tertius cum anacrusi et syncopata thesi secunda.

V. 461 est glyconeus πρὸς δυοῖν concisa altera trochaei mora. Huic strophae finem imponunt duo versus glyconei acatalecti, glyconeus primus et secundus.

Responsio antistrophica a poëta accuratissime observatur.

Insequentis epodi versus primus est hexameter dactylicus, quem sequitur pentapodia iambica admissa in altero pede syncopa. Versus tertius est tetrapodia iambica, quam sequntur duae tetrapodiae trochaicae solutis singulis huius versus pedibus. V. 482 est tripodia dactylica cum catalexi et anacrusi. V. 483 est tetrapodia dactylica pede et primo et tertio contracto. Versus epodi paenultimus est tetrapodia trochaica catalectica, cuius omnes sunt arses solutae. Versus extremus est λογαοιδικὸν δακτυλικὸν πρὸς δυοῖν.

Huius igitur epodi metrum est dactylo-trochaicum, in quo ordines et trochaici et dactylici invicem sese excipiunt, nisi quod ἐπῳδικὸν tetrapodia constat logaoedica.

Metro singulorum versuum ita explicato pergamus canticum hoc et grammatice et critice illustrare.

Versibus primis chorus inclytas illas alloquitur naves, quibus Achilles et Agamemno Troiam profecti sunt. Quod alloquii genus, cuius in sequentibus nulla amplius habetur ratio, saepius invenitur apud Euripidem. Cf. initium Andromachae, Electrae, Alcestidis. Quo in alloquio elegantissima poëta utitur imagine, navium ordinem comparans cum Nereidum choro. Itaque imago haec saepius ab Euripide usurpatur, ut Helen. v. 1450, Iph. Taur. 429. Cum notissimus sit, non est cur explicem delphinorum amorem musices,*) quibus a poëta hanc ob rem φίλαυλος epitheton est tributum. Itaque factum est, ut a poëtis carminibus celebrarentur, praesertim cum fabula illa de Arione, qui a delphino, cantus pulchritudine allecto, per fluctus servatus est, percrebuisset.

*) Cfr. Plinius Hist. Nat. IX. c. 8; Aul. Gell. VII. 8, XVI. 19; Oppian. Halient. I., v. 670.

Versibus qui sequntur

ἵν' ὁ φίλαυλος ἔπαλλε δελφὶς πρῴραις κυανεμβόλοις

codicis lectionem non esse probandam, ex Aristoph. Ran. v. 1317, ubi versus illi illuduntur, elucet.

Disputemus nunc de loco, qui omnibus interpretibus et editoribus summas attulit difficultates. Corruptelam dico εἱειλισσόμενος. Ita enim legitur in codice. Quae forma verbi ἑλίσσω cum unice hoc usurpata sit loco neque alio quodam firmari possit argumento, editores ad coniecturas fugiendum esse sibi persuaserunt. Itaque Nauckius lectionis εἱειλισσόμενος primam syllabam sustulit; quae coniectura iam ob metricum, qui tali modo exsistit, errorem est falsa, praesertim cum longam syllabam deesse ex antistropha eluceat. Quod considerans Camperus ἀμφ' εἱλισσόμενος legendum esse censuit, quae emendatio ex arte et metrica et grammatica nullo modo reprehendenda est. Camperum recte intellexisse manifestum est, hoc loco praepositionem, quae ad verbum pertinuerit, intercidisse. Namque et cum longa syllaba desit et dativus πρῴραις κυανεμβόλοις antecedat, probabilitate summa commendatur. Minime mihi placet quam Musgravius fecit coniectura ἐνειλισσόμενος, quae et si sensum spectamus et metrum, laudari non potest. Verbum ἐνειλίσσεσθαι significat „implicari, involvi"; delphinus autem haud quaquam proris navium implicari potuit, quippe qui proris circumvolutus nataret. Cum autem et quae alii emendarunt non sint verisimilia, Camperi laudo coniecturam legendumque propono ἀμφ' ἐνειλισσόμενος. Verbum ἑλίσσω non invenio coniunctum cum dativo, immo prorsus cum praepositionibus περὶ, ἀμφὶ, aliis. Camperi lectione probata dativum πρῴραις κυανεμβόλοις ex ἀμφὶ praepositione, non ex participio εἱλισσόμενος pendere volo. Quod autem ἄμφὶ praepositio casui suo est postposita, non est cur coniecturam illam reiiciamus, quippe cum haud raro praepositiones casibus suis postpositas invenias.

Errorem metricum, qui in v. 439 invenitur in voce Ἀχιλλῆ, iam Heathius eiecto uno λ correxit, cum versum hunc, ut responsio antistrophica docet, glyconeum catalecticum πρὸς δυοῖν esse necesse sit. Similem errorem emendavit in voce, quae legitur in v. 440, Τροίας (haec enim est lectio codicis) Seidlerus eo modo, ut ο in ω produceret, quo facto omni ex parte respondet hic versus antistrophico.

Sed de prima stropha hactenus.

Iam in quaestionem vocemus difficultates, quae in sequente reperiuntur antistropha. Versus primus non videtur consentire cum stropha verbis ἀκτὰς λιποῦσαι, quae dactylum et trochaeum sive spondeum efficiant necesse est. — Etiam tertius antistrophae versus primo aspectu strophae non videtur respondere. Quae difficultas tollitur, dummodo extremum huius versus verbum τευχέων per synicesin, quae vocatur, disyllabum legamus; qua re antistrophica responsio restituitur. — Quod Euripides Achilli arma a Vulcano facta absque Nereidibus allata esse tradit, iam apud Homerum legimus Iliadis libris XVIII. et XIX.

Versus 443 et 444 a plurimis editoribus insanabiles et corrupti iudicati sunt. Nihilominus codicum lectio nostro loco me quidem iudice bona est et sana, neque quidquam emendandum esse apparet, dummodo vocabulorum constructionem ordinemque, quo sese excipiunt, intellegamus. Etenim haec est: Νηρῆδες ἔφερον ἀσπιστὰς μόχθους τευχέων ἀκμόνων Ἡφαίστου, ut voces μόχθους ἀσπιστὰς τευχέων unam efficiant notionem et genit. ἀκμόνων, quod saepissime reperitur, adiungatur; genit. Ἡφαίστου est genitivus subiectivus pertinetque ad vocem ἀκμόνων. Qua re cum sensus nulla difficultate sit implicatus, omnes, quae a viris doctis factae sunt coniecturae, supervacaneae sunt iudicandae.

Tres versus sequentes quamquam optimam offerunt sententiam, tamen in v. 448 tam corruptum legimus locum, ut vel Seidlerus sagacitate pollens edixerit „nullam se huius loci invenire posse medelam“. Attamen meo indicio hic locus sine magna difficultate sanari potest, dummodo et quae sit origo coniecturae et quae sententia poëtae hoc loco pronuntianda, cum probabilitate indagemus. Codices habent κόρας μάτευσ᾽. Cui lectioni nullum rectum inesse sensum manifestum est. Quem locum quo melius corrigam, a verbo μάτευσ᾽, i. e. quaerere, disputationis initium faciam. Nereides ad Pelium Ossamque venisse ibique quaesivisse dicuntur. At quem ibi quaesierint, quisque interroget necesse est. Quam quaestionem ut dimittamus, in voce κόρας lectionem κόρον inesse statuo, ut tota sententia haec sit: Nereides Euboicis oris relictis arma, quae Vulcanus ipse fecerat, ferentes ad Pelium et Ossam se contulerunt ibique iuvenem quaesierunt, quippe qui illo loco educaretur. Hunc iuvenem non nisi Achillem intellegendum esse nemo dubitabit. Quae verba ut bonum redderent sensum, haec a ceteris sunt tentata: Barnesius legendum proponit κόρας ματεύουσ᾽, Jacobsius κόραι βάτευσ᾽, Matthiaeus, Seidlerus, Kirchhoffius, Nauckius κόρας μάτευσ᾽, Fixius χορεύματ᾽ εἶσ᾽ vel χοροστατεῦσ᾽, Camperus toto versu mutato legi vult μάντιος ἔνθα κόρας πατήρ. Quas coniecturas omnes ne minime quidem esse verisimiles, iam difficultate palaeographica missa inde cognoscimus, quod locus hic haud quaquam intellegi possit. Verbis autem, quae sequuntur, ἱππότας πατήρ, non Peleum, sed Chironem unum significari, non est quod commemoretur, praesertim cum Achillem ad Peleum Ossamque montes educatum fuisse a Chirone inter omnes constet.*)

Quae in v. 450 invenitur codicis lectio ἐνάλιον, retineri non potest, quippe quae metro repugnet. Quod considerans

*) Preller, Griech. Mythol. II., pag. 16 sqq. coll., pag. 396 sqq. et pag. 401.

Seidlerus merito εἰνάλιον subfecit, cum primam syllabam produci oportere antistropha doceat.

Ut versu 439 Achilles κοῦφος ἅλμα ποδῶν appellatur, ita antistrophae huius versu extremo ταχύπορος πόδα epitheton tribuitur. Quae celeritatis pedum epitheta praecipue Achilli fuisse iudita, iam ex Homeri carminibus res est notissima.

In stropha quae sequitur altera Victorius optimo iure codicis lectionem τινες correxit et emendavit τινος, quam coniecturam necessariam esse e sensu elucet. Certum enim est a quodam in Graeciam reverso de Achillis scuto allatum esse nuncium. Quod etiam Euripidem in animo habuisse compertum habeo. Codicis lectionem eam potissimum ob rem probari nolo, quod τινος ad genitivum βεβῶτος pertinere mihi videtur, idque eo maiore iure, quod nuncius ille persona erat ignota. Quam explicationem minime puto esse vituperandam, nisi forte loco hoc aliud quid, ac poëta dicere voluerit, significari contendas. Chorus enim narrat se a quodam ab Ilio reverso, qualia herois nostri fuerint arma, audivisse. Locus igitur hic, si, quod in codice legitur, laudatur, significet necesse est alios quosdam, non chorum ipsum, qualia fuerint arma audivisse. Quod considerans τινος unice probabilem esse lectionem edicere audeo.

Quid autem λιμένες Ναύπλιοι significent, iam a Musgravio Heathioque dilucide expositum est, qui portum Argis vicinum intellegendum contendunt. Haud quaquam portum Euboicum vocibus λιμένος Ναύπλιοι significari posse vel ea ex re apparet, quod vix credibile sit ruri degentes mulieres Argivas in Euboea in congressum colloquiumque venisse hominis ab Ilio reversi. Haud necessaria videtur mihi esse coniectura, quam fecit Nauckius v. 457. Itaque cum non videam, cur codicis lectio δείματα Φρύγια mutetur, ut vult Nauckius, in δείματα φρικτά, codicum lectionem Φρύγια genuinam esse existimo et interpretor δείματα Φρύγια fuisse δείματα, quae Phrygibus metum attulerint, sicuti infra Pleiades et Hyades, quae in Achillis scuto erant depictae, δείματα Hectoris dicuntur. — Cur autem poëta Phryges, non Troianos dixerit, non est cur commemoremus; constat enim inter omnes, Phryges idem significare ac Troianos, praesertim cum in Phrygia, quae vocatur Φρυγία καθύπερθε, Troia fuerit sita.

Contra maiore iure, quam codex habet, lectione λαιμότομον reiecta Seidlerus λαιμοτόμαν legi mavult, quae coniectura metro desideratur, cum ultima huius vocis syllaba longa esse debeat. Quod adiectivum merito ad φυὰν Γοργόνος quadrare potest, quippe quod non modo activo, verum etiam passivo usurpari soleat sensu, neque „ingulans" solum, sed etiam „ingulatus" significet. Quod epitheton haud esset probabile, si ad Perseum pertineret; nam consentaneum est poëtam imaginem hanc describentem Gorgonis formam potius depingere, quam Perseo epitheton tribuere, ad formam et imaginem Persei omnino non aptum.

Infinitivum ἴσχειν a verbo ἔκλυον pendere vix commemorari oportet.

Ut apud Homerum compluribus locis Mercurius appellatur διάκτορος, voluntatis Iovis deorumque nuncius, ita etiam ab Euripide hoc potissimum munus ei tribuitur. Ἀγροτὴρ dicitur, quod ei praecipue pulchra saltuosae Arcadiae arva, Cyllene, alia, placebant ibique libentissime versari solebat.*)

In antistropha cantici nostri ultima chorus medium describit scutum extremamque oram. Qui locus haud abhorret a descriptione Homeri, qui in Iliadis σ. v. 486 sqq. eadem sidera Achillei scuti decus esse docet.

Ut etiam de arte grammatica aliquid in medium proferamus, formam genitivi ἀελίοιο illustrare nobis liceat. Buttmannus et Matthiaeus terminationem οιο ex antiquiore forma οο, cuius prius ο apud Ionas accedente

*) Hom. Hymn. ad Merc. v. 2, Pausan. IX., 34. 3.

vocali *ι* producatur, ortam esse volunt. Curtius aliter hanc formam explicare conatus, genitivum singularum dialecti epicae terminari in *ιο* censet, *ιο* cum *ο*, quod inveniatur in radice, contrahi in *οιο*. Quae cum ita sint, ego grammaticae potissimum comparativae leges secutus, formam *οιο* ex *ασια*, quae forma omnibus linguis indogermanicis sit communis, eiecto *σ* vocalibusque contractis factam esse malim.

Quod porro attinet ad praepositionem *ἀνά*, in verborum connexu *ἵπποις ἂν πτεροέσσαις*, certum est eam apud poëtas abbreviari per apocopeu, quae vocatur, ante consonantes. Cum autem praepositio haec vulgo significet „supra, per“ et eam nostro loco aliud quid significari necesse sit, Robinsonis Musgraviique laudo explicationem, qui ad Iphig. in Aul. v. 754 *ἀνὰ* dorice pro *σὺν* usurpatum esse monet, coll. Gregorii Corinth. de Dor. XVIII. *τὴν ἀνὰ, ἀντὶ τῆς σὺν λαμβάνουσιν*, uti Pind. Olymp. I. 66: *χρυσέαις ἀν' ἵπποις*.

Quibus ita explicatis non praetereunda nobis est Barnesii coniectura, quam ad v. 469 fecit. Codicis lectio est *τροπαίοις*, quae, si respicimus sensum, non potest illustrari. Barnesius extremo *ς* abiecto *τροπαῖοι* scripsit, quae coniectura non modo perspicuitate et simplicitate commendatur, verum etiam multum valet sensus elegantia. Non enim fugit nos poëtam dicere voluisse, Pleiades et Hyades, quae in clypeo fulgerent, iam eminus Hectori iniecisse metum, non tam ob splendorem ingentem, quam quod, ubi sidera illa fulgerent, Achilles armis mortiferis cuncta prosterneret.

Vix quae afferatur Camperi, qui pro *Ἕκτορος — ἐν δ' Ἔρις* scripsit, digna est coniectura, itaque eam ut inutilem missam faciamus. Corruptela *τροπαίοις* sine dubio originem traxit a praeeunte dativo *ὄμμασι*, quales corruptelae in codicibus saepenumero deprehenduntur.

Eadem simplicitate commendatur quam in sequente versu Seidlerus fecit coniectura, qui in vocibus *ἐπὶ δὲ χρυσοτύπῳ κράνει* vocabulum *χρυσοτύπῳ* ex codicis lectione

χρυσεοτύπῳ emendavit correxitque. Quae coniectura vel ea de causa recte facta esse videtur, quod, si metrum spectamus, fieri non potest quin duae syllabae in verbo sint breves.

Quid voces *ἀοίδιμος ἄγρα* significent, virorum doctorum alii aliter explicare tentarunt. Musgravius *ἀοίδιμον ἄγραν* praedam esse existimat cantu comparatam, Seidlerus et Barnesius praedam celebrem i. e. de qua poëtae canunt. Quae Barnesii Seidlerique interpretatio pro facillima simplicitate maxime placet, *ἄγρα ἀοίδιμος* certe nulla alia esse potest, nisi quae ab *ἀοιδοῖς* in carminibus erat decantata.*)

Antistropham hanc explicare pergentes in extremo versu tantam invenimus difficultatem, ut a viris doctis nondum sublata sit. Quem versum codex ita legit: *Πειρηναῖον θορῶσα πῶλον*. Quae lectio quamquam sensui sententiaeque optime consulit, tamen metri causa improbanda est; nam cum positione produceretur verbum (*Πειρηναῖον θορ . .*), fieri non posset ut versus exsisteret logaoedicus. Verbi igitur quod in archetypo exstabat initium fuisse vocalem manifestum est. Quod quo melius emendetur corrigaturque, examinandus est sensus eoque deducendum verbum, quod loco nostro maxime sit probabile. Itaque hanc coniecturam certam esse mihi persuasum est: Chimaera cum Pegaso Bellerophonteque pugnatura describitur; ex voce *χαλαῖς* elucet in corruptela *θορῶσα* necessario verbum latere, quod ad huius substantivi notionem accedat, ergo „irruere, invadere (unguibus)“ significet. Quod si accuratissime consideramus, locum nostrum *Πειρηναῖον ὀροῦσα πῶλον* legi volo, quae coniectura, non modo si artem metricam spectamus, verum etiam si sensum, maxime commendatur. Formam participii *ὀροῦσα* in Hesiodi Scut. Herc. v. 437 legimus, ubi eodem,

---

*) Cfr. Soph. Oed. Tyr. 36.
Preller, Griech. Myth. II., pag. 348.
Apollodor, Bibl. III., c. 5. sect. 8.

quo nostro loco, usurpata est sensu „irruens, invadens“. Quae alii emendarunt, haec sunt: Bothius correxit ὁρῶσα, quae coniectura ideo displicet, quod antecedens substantivum χαλαῖς nullo modo cum verbo videndi coniungi potest. Canterus porro habet ἀροῦσα, Miltonus θηρῶσα, sed etiam hac lectiones sunt improbandae; idem pertinet ad emendationem Heathii, qui θοροῦσα coniecit.

Qua de causa Pegasus appelletur pullus Pirenaeus, iam a multis probabiliter explanatum est; inter alios a Barnesio, qui epitheton illud inde deducendum esse censet, quod Pegasus, cum ex fonte, cui est nomen Pirene, biberet, subito a Bellerophonte captus est.

Difficultatibus antistrophae explicatis pergamus ad disputationem, quae erit instituenda de cantici huius epodo. Atque iam in primo versu si metrum respicimus, fieri non potest quin pro δορὶ legamus δόρει, cuius coniecturae necessitatem iam Seidlerus intellexit. Quod autem attinet ad formam δορὶ, dativus hic, a poëtis usurpatus, dictus est attice pro δόρει. Buttmanni*) explicationem secutus voces δόρυ, γόνυ, sicuti ἄστυ et πῶϋ, in genitivo εος, in dativo ει antea habuisse velim. Quae forma δόρει, attice δορί, non modo apud poëtas, verum etiam apud alios invenitur.**)

Maiorem difficultatem habent versus qui sequuntur

τοιῶνδ' ἄνακτα δοριπόνων
ἔκανεν· ἀνδρῶν Τυνδαρὶς
ἀλέχεα, κοκόφρων κούρα.

Ita enim legimus in codice.

Quae lectio cum sensum non praebeat tolerabilem, multae eaeque variae factae sunt mutationes, ut pro vocibus Τυνδαρὶς ἀλέχεα — Τυνδαρὶ σὰ λέχεα, pro ἔκανεν — ἔκανες, pro κούρα — κόρα emendaretur. Certum est chorum hoc loco Agamemnonis caedem crudelissimam aegre ferentem ad mariti interfectricem se convertere

---

*) Buttm. Gramm. Gr. §. 58.
**) Thuc. I. 128: Παυσανίας . . . ἀποπέμπει δορὶ ἑλών.

eamque quasi praesentem invocatione alloqui. Neque minus perspicuum est ob hanc quam diximus causam accusativum praeferendum esse nominativo legendumque Τυνδαρὶ, σὰ λέχεα. Pluralis λέχεα saepius usurpatur de persona, ut legimus in Eurip. Hel. v. 584: ὅθεν σὺ Θεονόης ἔχεις λέχη, v. 590: τὰ δὲ κέν' ἐξάξεις λέχη, v. 784: ἢ γὰρ γαμεῖν τις τἄμ' ἐβουλήθη λέχη, vel eodem sensu λέκτρα: Androm. v. 928 ἢ δουλεύσομεν νόθοισι λέκτροις. Quae cum ita sint, fieri non potest quin tertia verbi persona ἔκανεν mutetur in secundam, quippe quae sola ad alloquium, quale nostro loco reperitur, quadret. Aliam eamque metricam ob causam pro κούρα cum Diudorfio κόρα legendum esse censeo; in dactylotrochaicis strophis enim licet multae reperiantur licentiae, tamen apud Euripidem theses solent esse purae.

Sub cantici finem chorus spe magna tenetur deos coelestes nefandum detestabileque illud scelus ulturos seseque ipsum Clytaemnestrae percusso pectore sanguinem effusum esse visurum. Versibus qui sequuntur

τοιγάρ σέ ποτ' οὐρανίδαι
πέμψουσιν θανάτοισι κἂν
ἔτ' ἔτι φόνιον ὑπὸ δέραν
ὄψομαι αἷμα χυθὲν σιδάρῳ

Nauckius pro codicis lectione θανάτοισι κἂν — ὄψομαι scripsit θανάτοις· ἦ μάν. Quam mutationem Kirchhoffius secutus Nauckii coniecturam in textum recepit, neque iniuria me quidem iudice. Nam si lectionem, quam codices habent, respicimus eamque examinamus quam accuratissime, nemo non fateatur necesse est in summa eaque elatissima carminis parte talem lectionem propter languidum sensum non posse ferri. Neque enim verisimile est sub finem carminis caedis vindictam, quae iam a diis constituta esset, sequentibus verbis non nisi fortuito exstitisse. Nam hanc esse significationem coniunctae cum futuro particulae ἂν manifestum est.*) Adde, quod ἂν cum

---

*) Matthiae, Gr. Gramm. §. 599 d.

indicativo futuri graece coniungi nequit, ut hodie constat. Qua re commotus una cum Kirchhoffio Nauckii emendationem probabilitatis aliquid habere puto, et quid totius carminis sub finem, qui contra coniugis interfectricem est conversus, maiore cum gravitate dici posset, quam fatidica pronuntiatio, mulierem illam impiam sordidamque percusso pectore sanguine madentem brevi extremum hausturam esse spiritum? Cantici igitur finis mea sententia ita scribendus est:

τοιγάρ σέ ποτ' οὐρανίδαι
πέμψουσιν θανάτοις· ἦ μὰν
ἔτ' ἔτι φόνιον ὑπὸ δέραν
ὄψομαι αἷμα χυθὲν σιδάρῳ.

Inclytae naves, quae olim appulistis Troiam innumeris remis, choros ducentes cum Nereidibus, ubi tibiae amans delphinus exsultabat proris caeruleis circumvolutus, deducens Thetidis prolem, celeripedem Achillem, Troiae ad oras Simoentias.

Nereides vero relictis Euboicis oris Vulcani aurearum incudum labores ferebant scutatos armorum, perque Pelium perque extremos Ossae sacros saltus, Nympharum speculas, iuvenem quaerunt, ubi pater eques Graeciae lumen, Thetidis prolem marinam, celeripedem educavit Atridis.

Ex quodam autem, qui ab Ilio in portus Nauplios venerat, audivi tui, o Thetidis fili, inclyti scuti in orbe huiusmodi signa, Phrygios terrores, esse insculpta: in rotunda quidem clypei ora Perseum ingulatam supra mare alatis calceis Gorgonis tenere speciem, cum Iovis nuntio Mercurio, Maiae agresti filio; in medio autem scuto lucidus fulgebat solis orbis cum equis volucribus, astrorumque aetherii chori, Pleiades, Hyades, Hectoris oculis formidabiles; in galea vero aurea Sphinges unguibus celebrem portantes praedam; in spatio latera ambiente

ignem spirans properabat cursu leaena unguibus Pirenaeum invadens pullum.

In hasta vero cruenta quadrupedes exsultabant equi et ater pulvis excitabatur circa terga. Talium bellatorum virorum regem occidisti, Tyndaris, maritum, malitiosa femina. Quamobrem te aliquando ad inferos demittent dii caelestes; adhuc adhuc profecto cruentam sub cervicem videbo sanguinem ferro effusum.
